



17. 12. 1700



Contenta volumine

- De Deo & attributis eiusdem Gratwem  
De creatione & Angelis Gratwem  
Gratulationes metricae ad Langium p. Doctorem  
Gratulationes metricae ad Marcum Doctorem  
Gratulationes metricae ad Sebastianum Doctorem  
Gratulationes ad Melisandrum magistrum  
Genethliaca carmina Henrico Rutbeno  
Threnologia in obitum eiusdem  
Disputatio de modo demonstrationis. Aschardi  
Disputatio de natura sagittarum  
Disputatio de Optionibus quibusdam philosophicis  
Hubmeieri.  
Qui fiat quod res sit cum forma magna p. H. K.  
Threnodia in obitum Werneri Gigantis.  
Comelia in nuptias Schultzei  
Dialexis physica Meindeli  
Propemptica ad Wittium Academiae Valerianorum  
Gratulationes Theodoricus ad Magistrantem  
In nuptias m. Hasij.  
In obitum filij m. Andreae Wilki  
Orationum consolatoriarum subijciuntur  
In obitum Rungij  
Epithalamia Pobitij  
An mulieres sint sores, v. d. c.

1. Chron. 22. Concilio D. Majoris.

Esai-38. Concilio Lauterbach;

Matt-13. Concilio rindum.

Prognosticon Apologum. Anni 1610

DISPUTATIO Illustrum questionum Theo-  
logicarum I.

DE

DEO ET ATTRIBU-  
TIS EJUSDEM,

ATHEISMO D. CONRADI VORSTII PROFES-  
soris Theologi Leidensis potissimum opposita:

Quam

Auxiliante divinâ gratiâ

P R A E S I D E

ALBERTO GRAWERO

S. S. Th. D. ET PROFESSORE PUBLICO IN  
illustri Academia Jenensi

PUBLICÈ tuebitur,

M. JACOBUS Brandt QUEDLINB. SAXO,  
in Auditorio Majori,

Diebus 9. & 10. Septembris, horis matutinis.

JENÆ,

apud TOBIAM STEINMANNUM

ANNO

M. DC. XII.

M. Andree Mollezi Pegasus P. L. C.

VIRIS

*Magnificis, Reverendis, Excellentiss. Clariss.*

Dn. M. JACOBO MARTINI, META-  
phys. & Log. in celeberrimâ Witebergâ Professori  
& pro tempore Rectori,

Dn. LEONHARDO HUTTERO, S. S.  
Th. D. & ibidem Professori primario, Facult.  
Theol. Seniori,

Dn. JOANNI FÖRSTERO, S. S. Th. D.  
& in eâdem Academia Professori  
publico,

Dn. ANDREÆ Brandt/ apud QVED.  
linb. in Patriâ ad D. Benedicium Pastori  
primario,

Suis Præceptoribus & Promotoribus in perpetuum  
observandis & colendis,

*Hæc Zητήματα Theologica & in sui commen-  
dationem & grati animi declara-  
tionem inscribit*

M. JACOBUS Brandt/ Q. S.  
Respondens.









ΣΥΝ ΘΕΩ.

PROOEMIUM.

I.



Nodationem præcipuarum & nobilissimarum quæstionum Theologicarum aggressuri non abs re fecerimus, si prius quædam de ipsius sacrae Theologiæ seu Doctrinæ sacrae necessitate & dignitate præmiserimus.

2. Cum enim in Philosophicis disciplinis de *omni Ente* non solum *creato*; sed etiam *increato* agatur, peculiarem disciplinam Theologicam superfluam esse, quis opinari posset, imò non solum superfluam, sed etiam impossibilem: difficiliora n. inquit *Syracides cap. 3. vers. 22. quàm quibus par sis inconsideratè ne queras; & quæ tuas superant vires, stultè ne exquiras.* Cum quibus consentit tritum illud: *Scrutator Maiestatis opprimetur ab eâ.*

3. Verùm si rem rectâ reputaverimus viâ, hanc opinionem & erroneam & impiam esse deprehendemus, quod ut commodius ostendamus, duo notanda erunt.

4. Primò duplicis generis sunt ea, quæ de Deo confitemur, ut *Thomas de Aquino lib. 1. contra gentiles cap. 3.* inquit: *Quædam sunt nota de Deo, quæ communem facultatem humanæ rationis excedunt, & non nisi per revelationem sunt cognoscibilia,*

*Ea quæ de Deo cognoscimus, duplicis sunt generis.*

A

bilia veluti *Deum esse trinum & unum, Christum esse Deum & hominem gratis solâ misericordiâ Dei in Christo declarata nos salvari, &c.* quædam verò sunt demonstrabilia, ad quæ etiam ratio naturalis quodammodo pertingere potest, sicuti, *Deum esse unū, verum, justum, bonum & immortalē, &c.* & alia hujusmodi, quæ etiam Philosophi de Deo naturalis rationis lumine ducti demonstrarunt, unde *Paulus Rom. 1. v. 21. quod Ethnici cognoverint Deum. Et Act. 14. v. 17. quod Deus non passus fuerit se expertem esse testimonii. Et Act. 17. v. 28. Ethnici Poëta testimonium citat.* Hinc tot Idololatriæ cultus Ethnicorum, ut etiam in quibusdam locis, referente Ludovico de Barthima, ipsum Diabolum ceu ministrum Dei colant: licet quidam Philosophi non ignorantia; sed malitiâ negarint Deum esse & sic contradicente propriâ conscientia veritatem in injustitiâ malitiosissimè detinuerint.

*An omne quod in Philosophia verum, in Theologia sit falsum.*

5. Non igitur omne quod in Philosophia verum, id in Theologia falsum, ut quidam ineptè nostro seculo contenderunt: an verò quædam in Philosophia vera, sint in Theologia falsa, in conflictu videbimus.

*Necessarium ad finem duplex.*

6. Dein: necessarium ad finem dupliciter dicitur, teste *Aristotele lib. 5. Metaphys. cap. 5. necessarium ad esse: & necessarium ad benè esse.*

*Theologiae necessitas.*

7. Quod ea attinet, quæ humanam rationem excedunt, & non nisi per revelationem sunt nota homini, ad salutem maximè necessaria fuit sacra Theologia. Qui enim propter finem agit, eidem cognitio finis est necessaria, ut eò suas dirigere queat.

queat actiones. Atqui homo ordinatur ad Deum, tanquam ad finem quendam qui rationis comprehensionem excedit, unde ex *Esaia Apostolus* inquit: *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis venerunt, quæ preparavit Dominus iis, à quibus ipse diligitur.* Et 2. *Timoth. 3.* *Scriptura divinitus est inspirata & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correptionem, ad disciplinam, quæ est iniustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus.* Maximè igitur necessaria fuit doctrina, quæ cognoscerentur ea, quæ superant captum humanum.

8. Ad ea verò, quæ ratio naturalis quodammodo assequitur, divina revelatio etiam fuit necessaria, quia ex his multa ad salutem scitu sunt necessaria, quæ tamen non nisi multis admixtis erroribus cognoscerentur.

9. Licet enim *Philosophia* etiam *de Ente increato* agat, tamen *imperfectè*, &, non nisi *lumine naturali*, quod non sufficere ostensum fuit.

10. Quæ hominis cognitione altiora sunt, per *rationem* quidem non sunt inquirenda: attamen si à Deo sint *revelata*, per fidem sunt suscipienda.

11. Sacra itaq; *Theologia* non solum est necessaria, sed etiam dignissima & præstantissima doctrina, quia de nobilissimo objecto, nempe, Deo agit secundum *rationem divinam*, & utitur *lumine divino* certissimo. *Theologia dignitas.*

12. Interim tamen etiam est *argumentativa*, ut loquuntur, seu utitur argumentationibus: valet n. ad *arguendum contradicentes*. Argumentatur a. non

ad probanda sua principia, quæ sunt ἀπόδειξις, sed ex principiis ad aliquid aliud ostendendum, Sic Christus argumentatur contra Sadducaeos Matth. 22. v. 32. Quorumcumque Deus est Deus, illi vivunt, Deus est Deus Abraham, Isaac & Iacob. Ergo Abraham, Isaac, Iacob vivunt. Similiter Iohan. 8. v. 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Vos ex Deo non estis. Propterea vos verba Dei non auditis: quem Syllogismum, licet minor in primâ figurâ sit verè negans, vitiosum non esse omnes boni Logici norunt, qui cap. 22. lib. 1. prior. Analyt. Aristotelis accuratè legerunt. Sed ad rem ipsam.

## QVÆSTIO I.

### An sit DEUS?

I.

**E**SSE DEUM sacra scriptura multis in locis perhibet, imprimis Exod. 3. v. 6. & 20. v. 2. ut Deum esse non nisi palàm impius dubitet.

2. Ratione idem comprobari poterit. Quæcumque enim sunt, ea aut omnia sunt possible, aut non. Si omnia sunt possible, sequitur quod quandoque ἀπλῶς nihil fuerit: possibile enim est quod potest esse & aliquando non fuit; nam si semper fuit, non possible; sed necessarium fuit. At multis modis absurdum est, aliquando simpliciter nihil fuisse. Ergo sequitur non omnia esse possible; sed ad minimum semper aliquid fuisse, quod fuit necessarium. Hoc autem vel habet necessitatis causam, aut non. Si habet tandem deveniemus ad aliquid quod est necessarium per se, cum progressus in infinitum sit impossibilis. Si per se est necessarium, causam necessitatis

cessitatis

cessitatis non habet, sed potius est causa necessitatis in aliis: id ipsum autem nihil aliud est, quam Deus. Similiter ex motu idem demonstrari potest: necessum enim est dari aliquod primum movens, quod non movetur.

## QVÆSTIO II.

*An Deus propriè loquendo definiri queat & quidem tam exactè à definitione, quæ præcisè respondeat præceptis logices?*

1. Negantem tuebimur sententiam, cum auctoritate scripturæ, tum ratione.

2. Scripturæ auctoritate: sic enim Dominus ad Moysen Exod. cap. 33. v. 20. non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & vivet. Et vers. 23. Videbis posteriora mea; faciem autem meam videre non poteris. Per faciem hoc loco intelligi non faciem assumptam, sed ipsam imperscrutabilem Dei essentiam & Majestatem apparet ex contextu, in primis ex vers. 18. Huc faciunt ea, quæ Paulus tradit 1. Cor. 13. v. 12. & 13. Syllogismus hic erit: Cuius essentiam videre & intelligere nequimus, is exactè definiri non potest: At qui Dei essentiam videre & intelligere nequimus. Ergo exactè definiri non potest.

3. Ratione: 1. Quicquid propriè loquendo definitur, id definitur per prius, teste Aristotele 6. Topic. cap. 3. At qui Deo nihil est prius: ipse enim primus & novissimus. Ergo Deus propriè loquendo definiri non potest.

4. 2. Si Deus propriè loquendo definiri poterit, definitio illa aut erit causalis aut essentialis. Causalis esse non potest, quia est propriè accidentium, Causalis enim definitio;

definitio xupios sic dicta est, in qua ponitur proxima externa causa accidentis, propter quam inest subiecto. Deus autem accidens non est, nec causam habet, cum sit causa causarum.

5. 3. Nec essentialis definitio erit: quia essentialis definitio constat ex vero ac proximo genere & differentia specifica. In Deo autem propriè loquendo nec verum genus nec differentia specifica: aliàs enim simplicissima Dei essentia esset composita ex genere & differentia, quod absurdum esse postea docebitur.

6. 4. Si verum & propriè dictum genus logicum Deo posset attribui, sequeretur, quod illud genus univocè, essentialiter & equaliter predicaretur de Deo & Creaturis, quod absurdum. Creator enim & creatura non solum genere Physico, sed etiam Logico differunt. Ratio est in promptu: quia Deus & creatura infinito intervallo inter se distant, nec quippiam univocè & equaliter de utroque predicari potest.

7. Exemp. gr. genus Dei esse dicunt, vel essentiam vel spiritum, cum communiter essentia predicetur de Deo & Creaturis, Spiritus a. communiter de Deo & Angelis. Verum hæc quidem de Deo & Creaturis predicantur; sed quod ut genus Logicum predicentur, negatur: quia non predicantur univocè & equaliter de Deo & Creaturis.

8. 5. Si verum genus Logicum Deo posset assignari, Deus esset species & per consequens etiam haberet individua: species enim & genus sumi quodammodo relata, quod predicationem attinet: Absurdum autem est, Deum esse speciem, cum sit numero unus.

9. 6. Si Deo verum genus Logicum posset assignari etiam differentia ipsi esset attribuenda, per quam genus illud

illud restringeretur ad certam speciem, quod rursus absurdum.

10. 7. Deus & Creatura haberent veram essentiam genericam, quod rursus absurdum. Non n. est existimandum, quod genus Logicum prout fundatur in notione prima sit merum figmentum; sed respondet ipsi aliqua res Genus Logicum cum quia? extra mentem in singularibus existens. Exemp. gr. Cum dico animal predicari de homine, tanquam verum genus Logicum, non est nudum figmentum, sed aliquid reale. Errant itaq; qui putant, posse diversis rebus attribui idem genus Logicum, ut tamen in Essentia rei genericam non conveniant. Contrarium est verum: Quaecunq; habent idem genus Logicum, illa equaliter habent eandem essentiam genericam. Ex. gr. Equus & homo habent eandem essentiam genericam, & essentia animalis equaliter utriq; competit, & tam equus quam homo est animal, & propter quam causam homo est animal, propter eandem etiam equus est animal, ita ut inter hominem & animal, quatenus in genere Logico conferuntur, prorsus nulla sit differentia. Nam quod differunt equus & homo, hoc non ex genere; sed differentia specifica provenit, & ex iis, qua eam consequuntur. Hoc universaliter verum est in omnibus generibus Logicis, quae verè & propriè loquendo sunt genera Logica.

II. Quicumq; igitur Deo verum genus Logicum, quod propriè est genus, attribui posse statuit, is in hoc absurdissimum absurdum incidet, quod Deus & Creatura sint unum genere Logico, habeant equaliter eandem essentiam genericam, & quod Deus & Creatura, quatenus in genere Logico conferuntur, prorsus non differant, quod

*est verè absurdum: sic enim propter quam causam creatura est vel Spiritus vel essentia, etiam Deus propter eandem essentia vel Spiritus esset, quod impium.*

12. *Interim analogicè & per quandam similitudinem aliquid ceu genus in descriptione aliqua Dei poni posse non nego, sed tamen verum adaequatum genus logicum non erit: hoc enim omnibus, de quibus predicatur, univo- cè & prorsus equali ratione competit, non uni πέντως alteri δέ τρέγως.*

13. *Vera igitur & exacta definitio infiniti Dei dari non potest, licet à posteriori eundem quodāmodo describi posse non inficias i verim.*

### QVÆSTIO III.

#### *An DEUS sit corporeus?*

1. *Præcisè negamus: Deus enim Spiritus est, Ioan. 4. v. 24. Spiritus autem carnem & ossa non habet, Luc. 24. v. 39. Cum itaq; Spiritus & corpus sint contradistinctæ species, sequitur spiritum nullo modo esse corpus neq; corporeum, sicuti equus nunquam est homo nec humanus seu rationalis. Inepti igitur sunt, ne quid gravius dicam, qui Angelos Spiritus corporeos esse dicunt.*

2. *Deinde: Deus, omni exceptione, nobilissimum est Ens. Nullum autem corpus nobilissimum ens esse potest. Corpus enim aut est vivum, aut non vivum. Vivum corpus nobilius est corpore non vivo, siquidem quod vivit, nobilius Ens est non vivente: Corpus tamen non vivum, nobilius corpus esse potest, quàm corpus vivum, sed non nobilius Ens: Gradus enim vitalis simpliciter superior est ordine Corporeitatis seu gradu non vitali: sic formicæ*



formica est quidem nobilius Ens, quam cælum, quia illa vivit, hoc vivere non putamus: interim tamen cælum nobilius est corpus, quam est corpus formicae. Corpus autem vivum non vivit, quatenus est corpus; sic enim omne corpus viveret, quod falsum. Quod igitur vivit per aliud vivit, sicuti nostrum corpus per animam vivit. Illud itaque per quod vivit nobilius est corpore. Quapropter cum Deus sit nobilissimus vivens, nullo modo corpus esse potest.

3. Quod verò in sacrâ scripturâ Deo attribuuntur membra corporea, veluti aures, oculi, brachium, dextra, &c. sciendum est hæc non propriè, sed Metaphoricè propter quandam similitudinem prædicari, alias apertè sibi scriptura contradiceret, quod ἀτοπον: Ratio autem propter quas scriptura ejusmodi locutiones usurpat, hæc est: Quia mens humana, quamdiu corpori unita adheret, ferè nihil intelligit sine rerum corporearum imaginibus, idcirco scriptura de Deo Deiq; actionibus loquens rerum corporearum nominibus utitur, atq; sic ad captum nostrum se accommodat: sic facies Dei aut favorem aut iram aut qualemcumq; presentiam significat: oculi, providentiam & sapientiam, pupilla, rem ipsi coniunctissimam: os, mandatum vel decretum: dextra & brachium, potentiam & protectionem, &c.

4. Licet igitur termini locales in sacris literis de Deo usurpantur, veluti, ad quem, a quo, tamen non propriè, sunt accipiendi, sed Metaphoricè, non de corporeo termino, sed ratione affectus animi.

5. Situs localis videtur Deo tribui Esa. 6. sed non nisi per similitudinem quandam: sedes enim ei

B

propter

propter immobilitatem & auctoritatem tribuitur. Corpus igitur propriè Deo tribui nequit, & propterea nec corporeus est.

Conradus  
Vorstius in  
lib. de Deo &  
attributis  
pag. 201.

6. Qui verò Deo corpus verè attribui posse scribunt, si per corpus vera & solida substantia intelligatur, illi non solum Elencho cause decipiuntur, sed etiam fœdam confusionem Spiritus & corporis introducunt: nam & spiritus veram substantiam habet, licet corporeus non sit. Spiritum autem propriè sic dictum esse corporeum statuere, nihil aliud est, quàm σιδηρόζυλον.

#### QVÆSTIO IV.

An Deus sit omnis veræ quantitatis expertus?

1. Frustra quæri videtur, an Deus sit omnis veræ quantitatis expertus, cum ostensum sit, eundem corporeum non esse: quicquid enim corporeum non est, id neq. quantum est: Verùm Conradus Vorstius Professor Academiæ Leidensis in Hollandia in tractatu suo de Deo & attributis Dei in prorsus contraria est opinione pag. 239. scribens: Quid vetat etiam Spiritus, imò & ipsum Deum suam habere spiritualem magnitudinem, non sensilem quidem, sed aliquo tamen modo intelligibilem pag. 240. Certè contradictio in hac (Augustini) sententia esse videtur. q. d. magnus est Deus sine magnitudine: & rursus ibid. Quod si dixeris, Deum, utpote spiritum prorsus ἀμέριστον, omnisq. quantitatis expertem esse eoq. nec magnum nec parvum &c. præterquam quod in posteriore membro tacitè principium petes, non video, quomodo id cum sacra scriptura conciliari possit, quæ Deum verè magnum & amplum esse aperte testatur: nempe, non solum ratione qualitatis, h. e.

vntu.

virtutis seu potentia, sapientia & bonitatis; sed etiam respectu quantitatis, sed divina & spiritalis, hoc est, quae substantiae divinae conveniat. Nam cum Deus etiam, quae Deus h. e. respectu substantiae suae magnus esse dicitur, certè aliquam hinc quantitatem & cogitari, & esse oportet, cum substantia per se h. e. quatenus substantia nec magna nec parva sit, saltè sine quantitate talis cogitari non possit. Deniq; huc nostra tendit oratio, non ut certam aliquam Deo quantitatem adscribamus, aut rationem eius specialem explicemus; sed in genere tantum, ut magnitudinem, quam sacræ literæ Deo tribuunt, veram magnitudinem esse demonstremus. Hæc Vorstius in impio illo suo tractatu, qui passim Studiosorum manibus teritur.

2. Impia & blasphema hæc esse omnes cordati Theologi judicant. Deum in sacris literis *magnum* dici non negamus, verum ut alia, sic & hoc Epitheton propriè de Deo non dicitur, sed per *metaphoram* & ἀνθρώπου παθῶς seu per συγκρίσιν quandā. Hinc Athanasius: *quæ ἀνθρώπου παθῶς μὲν λέγουσι, θεοπέπῳς δὲ νοῦναι.* Magnus dicitur potentia, virtute & operatione non quantitate, id quod Vorstius videre poterat in Psalmo 145. quem pro suo errore palliando perperam citat: nam cum vers. 3. dicitur: *Magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis eius non est finis*, mox seq. vers. explicatio additur: *Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam narrabunt.* Similiter cum Job. II. vers. 8. & 9. *magnitudinem* attribuit, mox vers. 10. eam de operationis magnitudine interpretatur inquiring: *Si subverterit omnia aut in unum coarctaverit,*

NB.

Deus, quæ  
Deus est  
quantus, jux-  
ta Vorstium.

An Deus sit  
quantus.

Quomodo  
Deus in sa-  
cris dicitur  
magnus.

rit, quis contradicet ei? Eadem est ratio loci ex 36. cap. allegati: in primis verò notandus est locus, Job. 37. v. 23. *Magnus est fortitudine & iudicio, & iusticiâ, & enarrari non potest.* Vides igitur Vorstii, nostram interpretationem non esse confictam, sed in ipsis sacris literis fundatam.

Deus iuxta  
Vorstium di-  
uisibilis erit.

3. Absurdissimum autem est absurdum, DEO veram aliquam magnitudinem dimensionem adscribere: nam sic corporeus esset. Quicquid enim verè quantum est, id corporeum est, id divisibile est, partem extra partem habet: quod enim divisibile non est, ne quidem quantum est, siquidem magnitudo indivisibilis nihil aliud est, quam  $\sigma\iota\delta\eta\rho\acute{\epsilon}\zeta\upsilon\lambda\omicron\nu$ . Deus igitur si verè quantus est, ut Vorstius scribit, corporeus erit, divisibilis erit, partem extra partem habebit, quæ omnia maximam arguunt imperfectionem & Enti perfectissimo, quale Deus est, minimè competent; imo si corporeus: si divisibilis, si partem extra partem habet, Deus non est.

4. Ubi verò Vorstius legit, *Deum, quâ Deum & respectu sua substantia, quantum esse?* quæ nam scriptura sacra sic loquitur? nulla prorsus.

Juxta Vor-  
stium sunt in  
Deo due in-  
create Essen-  
tia.

5. Et quia Vorstius hanc quantitatem apertè à substantia Dei distinguit, an non duas increatas essentias in simplicissima Deitate statuit?

6. Præterea quæro: an illa quantitas sit substantia vel accidens? Si substantia, quantitas vera non est; sed si ponatur substantia, Deus ex duabus substantiis erit compositus. Si accidens, Deus ex substantiâ & accidente compositus erit, in Deo accidens erit,

erit, quod quidem Vorstius, ut postea audiemus, absurdum esse non putat: Verum an non sic in Deo erit *prius & posterius, praestantius & ignobilius*, siquidem omne accidens posterius & ignobilius est substantiâ, à qua dependet?

7. Hoc ineptum est, quod confugit ad quantitatem intelligibilem & hyperphysicam eamque nullo verbo probat: nam hac ratione quidvis fingere possem.

8. Et quia literam urget, quando Deus dicitur *magnus*, cur potius *intelligibilem*, quàm *sensilem* urget quantitatem? & unde probabit non *hanc*, sed *illam* intelligi?

9. Præterea, illa *intelligibilis quantitas* aut erit *divisibilis*, aut *non*. Si non est *divisibilis*, ne quidem vera quantitas est; siquidem contradictionem manifestam implicat, *quantum esse, & indivisibile esse*. Si autem *divisibilis* est, Deus in partes dividuus erit, quod absurdum & impium. Dicit quidē Vorstius, Deum *suo modo* quantum esse, sed *modum illum non explicat*. Edisserat nobis Vorstius, *quis sit ille modus, & quid sit illa quantitas intelligibilis*, juxta Vorstium ego quamvis contradictionem & contrarietatem eludere possem dicendo, frigidum est calidum, sed *suo modo*; album est nigrum, sed *suo modo*. Equus est bos, sed *suo modo*: rationale est irrationale, sed *suo modo, &c.*

*Intelligibilis  
quantitas an  
Deo attri-  
buenda?*

10. Non ignoro sanè, quod Scaliger exerc. 359. sect. 3. *Angelis quantitatem intelligibilem tribuit*, & non prædicamentalem; sed ipse Scaliger semetipsum explicat, quod illa *quantitas intelligibilis vera quan-*

*ra quantitas non sit, inquit: Quanta quidem (intel-*  
*ligentia) haud quantitate predicamenti, sed quanti-*  
*tate intelligibili, ut intellectus intelligat in eis unam*  
*partem, quae non sit alia. Nihil enim infinito æquale*  
*esse potest. Hæc ille.*

ii. An Vorstius, eiusmodi quantitatem intelli-  
gibilem etiam in Deo statuet? absurdum, impium. Sca-  
liger per quantitatem intelligibilem nihil aliud, quam  
finitudinem essentialem intelligit: Vera autem quan-  
titas non est, ut saniores Philosophi norunt. De  
Deo autem Scaliger inquit: *sine quantitate magnus.*

### QVÆSTIO V.

*An Deo verè, propriè & rectè locus & localis*  
*presentia tribui possint?*

1. Præcisè negamus. *Locus quidem quando in sa-*  
*cris Deo tribuitur, id fit impropriè & quidem Meta-*  
*phoricè; Propriè enim Deus in loco non est, cum cor-*  
*poreus non sit: quicquid enim propriè loquendo in lo-*  
*co est, id etiam corporeum & quantum est, alias à*  
*loco commensurari non posset.*

2. Verùm Conradus Vorstius in libro supe-  
rius allegato pag. 235. & 239. contrariam tuetur  
opinionem inquit: *Sane de loco, & locali presen-*  
*tia, quin Deo verè & rectè attribui possit, minimè dubi-*  
*tandum videtur: si modò locus generatim & abstractè*  
*consideretur, & localis presentia non pro circumscriptiva*  
*vel definitiva (ut loquuntur) sed pro repletivâ & sub-*  
*stantiali, quâ scilicet, divina substantia, locum suum*  
*divinum modo divino impleat, accipiatur. Etenim cum*  
*Deus*

Deus in cœlo habitare dicitur, aut cum cœlum Dei ha-  
bitaculum, item, domus ac civitas appellatur, omnino  
locus ac localis presentia indicatur. Imò cum Deus ubiq;  
esse dicitur, nihil aliud quàm in omni loco esse significa-  
tur, licet non eomodo sit in loco, quo corpus aut spiritus  
aliquis creatus. Nam & Grammatici tradunt, ubiq; nō  
minus, quàm alicubi esse Adverbium loci, & intellectus  
humani nihil aliud, quàm localem omnipresenciam,  
hic apprehendere. Et paulò ante: quid vetat nos per lo-  
cum, scilicet in genere & metaphysicè consideratum, non  
superficiem ambientis alicuius corporis, sed vacuum quā-  
libet regionem, seu quodvis inane spatium cuiusvis rei  
verè subsistentis accipere. Haftenus Vorstius.

pag. 235. di-  
cit propriè  
locum dici.

3. Nova profectò & inaudita opinio, si duos  
vel tres exceperis: paucis eam confutabo. Loci de-  
finitionem Aristotelis rejicit, rationes nullas ad-  
fert: fides igitur ipsi nulla adhibetur. Quæ Aristo-  
teli opponi possunt, magnà ex parte dissolvi in tra-  
ctatu contra Keckermannum, cætera petantur ex  
Benedicto Pererio.

4. Protestatur Vorstius se non agere de loco  
Physico, sed Metaphysico & abstractè considerato. Ve-  
rùm dicat mihi Vorstius, quid sit ille locus Metaphysi-  
cus, & quidem abstractè consideratus? aut, quæ-  
nam Metaphysica, & ubi agat de isto loco? videtur  
Vorstius ignorare quid sit Metaphysica respondet:  
esse vacuum regionem & inane spatium rei verè sub-  
sistentis. At rursus: quid nā est illud inane spatium? Estne  
substantia vel accidens? si substantia, estne vel cor-  
porea vel incorporea? Hæc non est, quia non mensurat  
corpus locatum, cum sit incorporea: nec corporea,  
quia

Aliquid vel  
nihil?

quia hæc non est *locus*; sed *res locata*: absurdū itaq;  
locum esse substantiam. Si est *accidens*, det mihi  
*subiectum* hujus accidentis. Aut est *corpus continens*,  
aut *contentum*: non hoc, sic n. locus esset *aliquid*  
*ipsius rei locatæ*, quod impossibile. Si *continens*, non  
potest aliud esse, quàm extremitas ipsius ambien-  
tis corporis, quod erat ostendendum.

5. Præterea, locus ille Metaphysicus aut *cir-  
cumscribit & commensurat locatum*, aut *non*. Si *non*  
*circumscribit & commensurat locatum*, ne quidē locus  
est: dicere enim *locum non circumscribentem, non con-  
tinentem, & non commensurantem, nihil aliud est, quàm*  
*dicere σιδηρόξυλον*, imò Vorstius locum ad Quantita-  
tem refert pag. 199. Quantitatis a. est mensurare:  
aliàs ne Quantitas quidem esset. Si verò *circumscri-  
bit & commensurat locatum*, & Deus est in ejusmodi  
loco, sequitur, quod *Deus circumscribatur & cōmen-  
suretur, & quidem à corporeo*, quod absurdum: locus  
qui *corporeus non est*, locus non est.

6. Ad hæc locus ille, *in quo Deus*, juxta Vorstii  
*collocatur*, aut est *creatus aut increatus*. Si *creatus*, con-  
tinebitur & circumscribetur Deus à creaturâ, quod  
impium. Si *increatus*, erit aliquid increatum *præter*  
*Creatorem*, quod tota scriptura ignorat & contra-  
dictionem implicat.

7. Quod Vorstius fingit, *Deum etiam esse in spa-  
tio aliquo extra hunc mundum*, nimium ineptit: spa-  
tium namq; illud nihil est. Sicuti autem Deus ante  
mundum conditum, ita etiamnum extra hunc  
mundum est *realiter in seipso*. Deus enim extra  
hunc mundum *non accipit realem habitudinem aut*  
*deno-*



*denominationem à spatio imaginario, in quo existit, cum illud spatium non sit aliquid reale; sed habet extra mundum intrinsecam suam & absolutam praesentiam, quâ in seipso realiter existit.*

8. Rationes Vorstii sunt nullius momenti: non enim sequitur, omne *id quod est, in loco esse*, aliàs locus in loco esset atq; tandem progressus fieret in infinitum.

9. Cum Deus in cœlo habitare dicitur, & cœlum Dei habitaculum, domus aut civitas appellatur, item Deus de loco egredi, tum hæc non *proprie*, sed *Metaphoricè* & κατ' ἀνθρώπων πάθειαι sunt accipienda, quod nolens volens mihi Vorstius dabit.

10. Si n. pertinacius *propria* vocabulorū significationi inhaerere voluerit, pari ratione efficiam, in altero seculo fore *mensam aliquam magnam corpoream, in quâ potu & cibo reficiendi simus*: Christus n. Luc. 22. v. 29. 30. inquit: *Dispono vobis regnum meum, sicuti disposuit mihi Pater meus, ut edatis & bibatis in mensa mea in regno meo, & sedeat is super thronos, &c.* Si hîc non admiseris Metaphoram, à Chiliastarum errore non procul aberis, imò mira monstra paries.

11. Sciendum igitur, quod scriptura de Deo & ejusdem præsentia ac gubernatione loquens sæpè *accommodet se ad nostrum captum & utatur similitudinibus à terrenis rebus huius sæculi desumptis, nunc domū, nunc locum, nunc tabernaculum, nunc regnum, nunc Paradisum* Deo attribuens, &c. non *proprie*; sed *per similitudinem quandam seu Metaphoricè*.

12. Similiter quod Adverbia *qualitatem loci*  
C signi-

significantia attinet, qualia sunt, *alicubi, hinc, ubiq;*, &c. quando de Deo usurpantur, non *modum presentia*; sed *ipsam tantum presentiam* denotant.

13. Si verò rigidiùs ea urgere voluerit, pari jure efficiam, *ipsam Deum esse locum* hoc modo: particulae *Ad, in & apud, &c.* significant locum, ut *Grammatici tradunt*. Christus a. Johan. 20. inquit: *Ascendo ad Patrem meum, & Deum meum*. Ergo Deus erit locus. Sic Johan. 1. *Verbum erat apud Deum, & IN sinu Dei: Anima justorum sunt in manu Dei*, Sap. 3. Ergo Deus erit locus. Absurdum.

14. Ad hæc ipsi Philosophi non concedunt, ejusmodi particulas semper denotare *differentiam localem, seu locum positivũ*. Quis ignorat, particulas, *supra, extra, propriè* denotare locum? At Aristoteles in libris de cœlo multoties ait, *supra & extra cœlum nullum esse locum*; locum negans, *vocibus iis*, quæ aliàs locum significant, *utitur*. Nam si *supra & extra* ibi positivè significarent locum, & non potius privativè sumerentur, in infinitum fieret multiplicatio locorum. Non igitur tam rigidè *propriam* significationem vocabulorum ubiq; urgere possumus.

15. Falsissimum etiam est, cum Deum *ubique* esse dicimus, nos non nisi *localem omnipresentiam* concipere posse: Deus namque in *omnibus locis & ubique* esse dicitur, non *formaliter per contactum quantitatis dimensionis*; sed *effectivè seu causaliter per contactum virtutis*: non enim hac locutione locis Deus *includitur & continetur*, sed ita omnipræsens esse creditur, ut sit *supra & infra* omnia loca, si maximè forent infinita.

16. Quæ

16. Quæ de repletiva præsentia adfert, ea Vorstio  
adversantur, siquidem repletiva præsentia Dei mani-  
festè à præsentia locali distinguitur tanquam di-  
versa præsentia species: non enim præsentiam  
localem, definitivam & repletivam Vorstius in unum  
Chaos confundere poterit. De definitiva præsentia  
sic inquit Scaliger exerc. 359. sect. 5. *Angelus per de-  
finitionem dicetur ibi, per definitionem ad hunc modum,  
inquam. Ibi est: hic non est. In rebus à sensu remotis  
balbutit humana lingua. Et rursus: neq; corpus in quo  
Angelus habet suum, Vbi, est eius locus: nempe, neque  
dilatatur, neq; densatur ad illius ingressionem.* Et circa  
finem sectionis: *Est igitur ubi et as affectus entis cuius-  
que necessarius, præter Deum. Dicuntur ergo (Angeli)  
esse in loco æquivocè, atq; etiam plusquam æquivocè:  
quia sunt in suo ubi: non per circumscriptionem, quem-  
admodum mea manus in aère; sed per designationem.*  
Hæc Scaliger, quem allegare volui, quia ad eun-  
dem Vorstius pag. 239. in hac ipsa quæstione pro-  
vocat, licet falsò. Deus autem replere dicitur o-  
mnia loca non formaliter, ut dictum, sed virtuali-  
ter, seu effectivè: in omnibus non per circumscrip-  
tionem; sed per conservationem: in omnibus est tan-  
quam suprema & prima causa creans & conservans.

NB.

17. Ineptiis itaq; & quisquiliis Vorstii protri-  
tis ad sextam progredior quæstionem.

## QVÆSTIO VI.

### *An DEUS sit infinitus?*

I. Cum de infinitate Dei quæritur, non quan-  
titatis; vel internæ extensionis; sed essentia & perfectio-  
nis in-

Vorstius a-  
pertè negat  
infinitatem  
Dei substan-  
tialem.

nis infinitas intelligitur, juxta illud Augustini lib.  
6. de Trinit. cap. 8. *In his, quæ non mole magna sunt, idem est maius esse, quod melius esse.* Nos ex sacris lite-  
ris cum orthodoxis Theologis omnibus affirma-  
mus: Conradus Vorstius in libr. de Deo & attribu-  
tis pag. 234. lin. penult. negat inquit: *Nec Deus actu simpliciter infinitus est, neq; essendo neq; operando: tamen si respectu nostri sic dicitur utruq;.* pag. 235. *Verum quidem est, Deum omnia in omnibus operari & nos in ipso vivere & moveri &c. non tamen sequitur, Deum immediatè illic suâ substantiâ adesse, ubicunq; operatur; quia per causas medias sive Physicas, sive Hyperphysicas, puta, Angelos &c. operari potest, ut rex aliquis per suos ministros.* Et paulò post ibid. *Apparet ex dictis, saltem incertum & dubium esse, quod vulgò de substantiali Dei immensitate traditur; cum non satis apodicticè thesis hæcenus probata sit.* Protestatur quidem pag. 238. se hæc non definiendi, sed inquirendi animo attulisse; interim tamen, quia ipse non vult definire, quod omnes orthodoxi definiverunt, palam nostram sententiam negat, imò protestatio est factò contraria; sic enim pag. 237. inquit: *Simpliciter credamus, quod sacra litera toties inculcant, Deum revera suâ substantiâ (quæ ut amplissima & maxima, nostriq; respectu immensa, ita simul summè gloriosa est) in cælo altissimo, eodemq; capacissimo habitare; in terra verò ubiq; virtute & sapientiâ suâ, sive efficaci operatione & providentiâ suâ nobis adesse.* Hæc ille.

2. Rationes, quibus utitur, sunt hæ: *Prima, inquit, pag. 235. nititur iis scripture locis, quibus affirmari omnino videtur, Deum ratione sua substantiâ tantum esse*

esse in caelo, sive in caelesti Paradiso: quae, nimirum, proprie domus & locus & habitaculum ipsius in scripturis dicitur. Hæc ille.

3. Deum in caelo esse Scriptura testatur: tantum in caelo esse nullibi scriptum legimus, *Cæli enim caelorum Deum non capiunt*, 1. Reg. 8. Vocat fanè Deus caelum *sedem suam*; sed & *terram scabellum pedum suorum*. Non itaq; tantum in caelo. Proprie Deo locum attribuendum esse nihil aliud est, quàm Deum facere proprie corporeum & sic non Deum.

4. Secunda ratio Vorstii: *tacito natura & omnium populorum consensu in precibus ad caelum mentem elavamus*. Respondeo: id fieri propter insigniorem aliquam gloriæ divinæ patefactionem: nec hoc est *κενώμενον*, ut fingit Vorstius, cum res ipsa loquatur & *ocularis demonstratio hanc patefactionem comprobet*. Deinde hoc ideo fit, ut mentes extra hunc mundum evehamus, nec quicquam humile, carnale aut terrenum de Deo concipiamus.

5. Tertiò, *Maiestatem Dei postulare, inquit, ut substantiam suam ab his terrenis abstractum habeat, quae aliàs ut pars immisceretur: indignum a Deo est in antro formicae aut locis sordidis totâ suâ essentiâ adesse*. pag. 236. & 237.

6. Sed frustra sollicitus est Vorstius: Deus adest suâ essentiâ in omnibus creaturis, non ut ab eis contineatur, afficiatur aut inquinetur; sed potius, ut conservet & contineat, tanquam *suprema causa in suis effectis*, tanquam *Creator & Conservator in rebus creatis, & conservandis*: ac quemadmodum Solis dignitati nihil decedit, licet splendore ipsius res vilissimæ incalescant, sic nec Deo aliquid decedit, licet

ut Creator sit in vilissimâ creaturâ, cum non minus in vilissimo corpusculo formicæ, quàm aliis creaturis vestigia sapientiæ & potentiæ Dei eluceant. Vorstius non nisi *crassum presentia modum* fingit, qui *Physico contactu* fiat.

pag. 237.

7. Quarta ratio: *Substantia Dei jam videtur ab angelis*, Matth. 18. v. 10. & *videbitur olim à nobis à facie ad faciem*. 1. Johan. 3. v. 2. Ergo non est prorsus infinita. Nam quod tale est, nullo sensu apprehendi potest.

8. Respondeo: Quicquid alii dicant, concedo Deum nullo sensu percipi posse: *Visio illa Angelorū non est corporalis*, nec nostra in futuro seculo corporalis erit, siquidem *Deus ipse corporeus non est*; sed *cognitio in suo genere perfecta* erit. Vorstius in Deo verè nil nisi corporeum somniat. Si v. Vorstius voluerit, *infinitam substantiam Dei ab intellectu finito percipi non posse*, dico per *solas nature vires* id fieri nō posse; attamen *Dei auxilio adveniente singulari* fieri posse. Licet a. illa *visio magna sit futura*, tamen ita perfectè Deum nec Angeli nec beati seu electi cognoscent, quàm seipsum cognoscit. Hoc itaque argumentum nos non ferit.

pag. 237.

9. Quinta ratio: *Nihil in natura potest esse infinitum*. Ergo nec Deus.

10. Respondeo: Quidni & sic, Vorsti? *Creatura non creavit coelum & terram*. Ergo nec Deus? *Creatura non est æterna*. Ergo nec Deus? pudeat te tam puerilis Sophisticationis, in quâ *apertus Elenchus causa*. Contrarium colligere debebas.

pag. 237.

11. Sexta ratio: *Actu infinitum esse, & in specie hoc vel illud esse, contradictoria sunt*: quia omne, quod actu

*actū est hoc aliquid, in seipso finitum & ad certum ali-*  
*quod genus Entis, quasi contractum est.*

12. Respondeo: Ludit Sophista ὁμωνυμία voca-  
buli. *Infinitum* græcè dicitur vel ἀόριστον, & sic op-  
ponitur *definito*: vel dicitur ἀπερον, & sic opponi-  
tur *finito*. *Priori modo* largior contradictoria esse,  
infinitum, id est, ἀόριστον esse & hoc aliquid esse.  
*Posteriori modo*, nego. Deinde & hoc notari velim,  
cum Deum actu infinitum esse dicimus, nos non  
intelligere *infinitum extensione vel quantitate molis*;  
sed *essentiâ & perfectione*: propterea enim Deus actu  
infinitus dicitur, quia omnes in se actu continet perfe-  
ctiones in genere Entis possibles. Etiam si igitur Deus  
sit actu hoc aliquid, nihilominus tamen actu omnes  
in se perfectiones in genere Entis possibles continet: ni-  
hil enim perfectionis ipsi deest. Quod a. tale, id  
est infinitum Essentia & Perfectione. Nam de  
nulla creatura dici potest, quod omnes omnino  
actu in se contineat perfectiones. Atq; sic Deus,  
ut loquuntur, *Eminenter* est omnia; *formaliter a.*  
hoc aliquid. Nulla itaq; contradictio.

Quomodo  
Deus dicatur  
infinitus?

13. Septima ratio: *Potentia Dei et si respectu no-*  
*stri & rerum possibilium immensa dicitur, non tamen*  
*prorsus infinita est, quia non extenditur ad impossibilia.*  
*Ergo necessentia infinita est.*

14. Respondeo: Apertus causæ Elenchus. Dei  
potentia est infinita, quia Deus est *omnipotens*, Ge-  
nes. 17. v. 1. Matth. 19. v. 26. Dei potentia est infini-  
ta, quia *poteest omnia possiblea*. Ineptè a. *impossiblea*  
objiciuntur, quia manifestam implicat contradi-  
ctionem, *potentiam se extendere ad impossiblea*, imò  
poten-

potentia non esset, sed *impotentia*, si ad ea se extenderet. Sicuti n. *scientia* objectum duntaxat sunt *res scibiles*, ita etiam potentia objectum tantum sunt *res possibles*: quæ potentia tantum quædam producere potest, illa est  *finita*: quæ a. omnes producere potest,  *infinita* potentia dicitur. Quia igitur Deus infinitam habet potentiam. Ergo & infinitam essentiam.

pag. 238.

15. Deniq; obicit: *Sacraliter & Deum quidem magnum, excelsum, elevatum vocant: sed nunquam absolute infinitum aut simpliciter immensum appellant. Nã secundum quid & comparative dici posse infinitum non negamus, sicuti respectu nostri infinitus est numerus stellarum, &c.*

16. Respondeo: Scriptura *pñlōs* non dicit, *Deus est simpliciter & absolute infinitus*; attamen *equipollentibus verbis* absoluta Dei infinitas exprimitur *Psal 145. v. 3. Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis, seu investigatio ad fundum: quæ verba non de magnitudine molis; sed virtutis accipienda esse superius monuimus. Unde sic argumentor: Quicquid non habet finem seu terminum sue virtutis & perfectionis, id verè & rectè infinitum dicitur. Deus non habet terminum seu finem sue virtutis & perfectionis. Ergo Deus verè & rectè infinitus dicitur. Licet a. Deus sit infinitæ perfectionis, tamen non propterea omnes creaturæ sunt æqualiter perfectæ: mensura enim perfectionis creatæ non desumitur à distantia perfectionis divinæ, sed à pluribus vel paucioribus gradibus perfectionis, quos unaquæq; res à Deo consecuta est.*

17. Idem



17. Idem vult Salomo 1. Reg. 8. v. 27. *Cæli cælorū  
se non capiunt.* Hæc n. verba non solum de *virtute  
& operatione*, ut Vorstius pag. 233. contendit, sed et-  
iam de *substantiâ Dei* accipienda sunt, ut totus con-  
textus testatur, ut taceam quod *virtus Dei & Essen-  
tia Dei* re ipsa non differant, & quod *infinita virtus*  
præsupponat *infinitam essentiam*.

18. Insuper: *Si Deus est suâ essentiâ finitus*, quæsi-  
verim, unde habeat hanc finitudinem essentialē?  
aut à *seipso* est finitus, aut *ab alio*, aut *à nullo*. Non *ab  
alio* finitus esse potest, siquidem Deus omnium re-  
rum *primum & absolutissimum principium*, à quo cæ-  
tera omnia dependent, *nec supra, nec penes se* vel *ma-  
ius* vel *equale* principium habet. Si a. *ab alio* finire-  
tur ac terminos essentiæ suæ haberet Deus, utique  
ab alio penderet, atque sic ne quidem principium  
primum & supremum esset.

19. Vorstius pag. 237. libri toties citati inquit:  
*Deus ab alio Deo finitus vel limitatus non est; sed à seip-  
so* sive naturâ suâ habet specificam formam seu dif-  
ferentiam, quæ ipsum subjectum necessariò re-  
stringit, limitat, definit, &c.

20. Hac vice non urgebo, quod Vorstius Deo  
formam *specificam, differentiam & subiectum* tribuit,  
de his namq; postea: ad rationē ipsius respondeo:  
*Nihil, quod est simplicissima substantia, potest seipsum  
efficere, seipsum continere: nihil potest prius actu aliquid  
agere antequam agendi potentiam habeat.* Si igitur à  
*seipso* est finitus, ipse simplicissimus Deus simul erit  
*limitans & limitatus, agens & patiens*; finiri n. est pa-  
ti, quod manifestam contradictionem implicat:  
aut sequetur, *Deum non esse simplicissimam substantiâ;*  
D sed

sed ex formâ limitante, seu finiente, & materiâ limitatâ  
compositam esse, quod impium, blasphemum & ab-  
surdum esse paulò post demonstrabitur.

21. Si Vorstius dixerit, Deum ita à seipso finiri,  
quemadmodum dicitur à seipso esse, nihil proficit: nã  
Deus non dicitur à se tanquam à causâ aliquâ esse,  
sed hac locutione nihil aliud significatur, quàm  
Deum omni principio & causâ careere. Deinde nulla  
causa dari poterit, cur essentia Dei hoc potius,  
quàm illo modo & ad hoc, quàm ad aliud perfe-  
ctionis genus limitari voluerit & debuerit? Ver-  
bo dicam: impia sunt nugæ, quas Vorstius hac in-  
re absq; verbo Dei & etiam sanâ ratione profert.  
Et quomodo Trinitas personarum subsistet? An  
finita substantia numero una poterit esse in tribus  
numero distinctis personis? Videat Vorstius, quo-  
modo hic se expedire velit, ut non transeat in ca-  
stra Photinianorum.

## QVÆSTIO VII.

### *An Deus sit ubiq; præsens?*

1. Hactenus piè credidit Ecclesia: Enter, præ-  
senter DEVS est & ubiq; potenter. Deus enim cælum &  
terram replet, Jerem. 23. v. 24. non solùm gubernatio-  
ne & providentia; sed etiam suâ substantiâ, ut appa-  
ret ex v. 23. Deinde, quia Deus non solùm omnia,  
sed etiam in omnibus operatur, 1. Cor. 12. v. 6. quæ  
bona sunt, non ut Rex per ministros, sed ita ut sit  
etiam in omnibus, Ephes. 4. v. 6. nec longè absit ab uno-  
quoque nostrum Actor. 17. v. 27. non solùm operatio-  
ne, sed etiam essentiâ, præsens esse rectè docetur.

2. Ve-

2. Verum Conradus Vorstius iterum huic orthodoxæ & receptæ doctrinæ dicam scribit pag. 235. inquiens: *In sacris literis affirmari omnino videtur, Deum ratione sua substantiæ tantum in cælo esse.* Et pag. 240. *Mirum videtur esse paradoxon, Deum sic omnis quantitatis expertem esse, ut totus substantialiter sit in re qualibet etiam minima v. g. in antro Scarabæi aut in apice unius pili, &c. Hoc enim maximam & amplissimam Dei essentiã esset in angustum cogere, sive ex maximo & immenso Deo minimum & pusillum efficere.* Pag. 241. *Quenam & qualis magnitudo Dei sit, id quia nobis patefactum non est, nec per se quicquam ad pietatem conducit, nescire quidem appetimus. Sic enim multò præclarius de immensa Dei maiestate sentimus, quàm si totam in rebus hisce creatis (quamvis abiectis & impuris & exiguis) etiam singulis substantialiter inesse, atq; instar alicuius atomi seu punctuli nullam omnino quantitatem habere, nobis persuaferimus. Quod enim de animã vulgò assertur, eam totam substantialiter esse in qualibet corporis parte: & licet à multis hætenus affirmatum sit, falsum tamen esse res ipsa demonstrat. Non enim potest una numero essentiã animã & quidem tota simul esse in capite, manibus, pedibus, & cæteris membris, verè inter se secundum loca divisis, quia sic idem extra seipsum esset, hoc est, extra fines suæ essentiæ: quippe qui finibus adequati loci exactè & necessariò respondent. Virtute quidem & operatione per omnes corporis partes animã diffusa est: sed essentiã eius uno aliquo certo loco (puta vel corde, vel cerebro) continetur. Hæc n. essentiã diffundi non potest, nisi quatenus per partes porrigitur & continuatur: id quod sine quantitate dimensivã fieri non potest. Hæc ille.*

Deus juxta  
Vorstium  
tantum est  
in cælo.

3. Respondeo: Vorstii, *videtur*, solvitur per, *non videtur*. Sacre literę Deum in cœlo esse perhibent: *tantum* in cœlo esse nullibi docent.

NB. 4. Deinde, si Deus *tantum* est in cœlo, sequitur eundem *suâ substantiâ* in Christi carne assumptâ cum in his terris verfaretur, non fuisse, & per consequens *nec Deum fuisse*. Gaudete Photiniani, vobis à Vorstio paratus est triumphus.

5. Si verò fuit in carne assumptâ. Ergo non tantum in cœlo; sed etiam in terris.

6. Rursus: Si fuit in carne assumptâ, vel secundum *totam suam substantiam* ibi fuit vel secundum *partem*. Si secundum *totam substantiam*. Ergo simul totus fuit in cœlo & in terra, quod negat Vorstius. Ergo in *re etiam admodum parvâ*, qualis est caro assumpta respectu totius mundi, & *fuit totus substantialiter*, quod negat similiter Vorstius. Si secundum *partem*. Ergo simplicissima Deitas partes habebit & divisibilis erit. Absurdum.

7. In triduo mortis hæc tria, *corpus, anima, sanguis in cruce effusus*, naturaliter erant sejuncta. In singulis his seorsim existentibus aut *tota fuit Deitas aut pars, aut prorsus non fuit*. Si prorsus non fuit, nõ solum tollitur unio; sed necessariò sequitur Arrianismus, vel Photinianismus faltem. Si *tota* in singulis, corruiť sententiã Vorstii. Si *pars Deitatis*. Ergo in singulis partibus, *animã, nempe, corpore & sanguine fuerunt singulę partes substantię divinę: & quia illa tria locis erant seiuncta & separata*, singulę etiam illę *Deitatis partes locis fuerunt divisę ac separata*. Vide qualem Deum nobis Vorstius fabricet.

8. Quod de *animã rationali* immiscet Vorstius, frivo-

frivolum est: non n. sequitur, quod sit *extra seipsum*; sed quod sit in *duabus partibus*, quarum una est *extra alteram*. Aliàs idem sequetur ex Vorstii sententia, qui animam statuit esse vel in corde vel cerebro. Cor enim ( sic & cerebrum ) habet duas extremas partes à *seinvicē distinctas*. Si *tota anima* est in *utraq; parte cordis*, erit *extra seipsum*, si consequentia Vorstii est bona. Si a. una pars animæ est in una parte cordis; & altera pars in altera parte animæ nonne corde in partes divisō & ipsa anima in partes dividetur? ubi igitur incorruptibilitas & immortalitas animæ?

9. Absurdam a. esse hanc Vorstii de animâ sententiam ipsi Philosophi norunt: nam si essentia animæ in *unâ certâ corporis parte* esset, nec *cuiuslibet parti corporis* adesset, certè *totum corpus non esset animatum*, nec homo esset *unū per se; sed per accidens unum*: Solum cor, vel solum cerebrum esset animatum, & sic etiam animal: nam virtutes quæ ab anima in cæteras partes diffunduntur, cum accidentia sint, substantiam & sic *corpus animatum* constituere nequeunt. Plura argumenta volens omitto.

10. Deniq; absurdus est Vorstius, quando essentia Dei in *angustum* cogi putat, si *tota præsens* statuatur in *re qualibet minimâ*: hinc n. apparet, quod *non nisi localem & circumscriptivam præsentiam sibi imaginari queat*: Deus absq; *ullâ commensuratione* ( siquidem incorporeus est & à corporea re non potest commensurari ) *est in re qualibet minimâ totus*, sed ita ut sit etiam extra eam. Non igitur coarctatur, nec in *angustum* redigitur.

II. Ejusdem farinae est, quod de *atomis & puncto* nullam omnino quantitatem habente objicit: nam Deus non est *ita indivisibilis* ut punctum, siquidem punctum *ita est indivisibile*, ut sit simul *terminus continuus seu continuae quantitatis*. Deus a. *nullius continui terminus est*. Apparet hinc, quod Vorstius de Deo nil nisi carnale & *corporeum* cogitare possit.

## QVÆSTIO VIII.

### *An DEUS in se sit simplex?*

1. Deus est purissimus actus omnis *realis & actualis compositionis* expers. Si enim *compositus* esset, *aliquid Deo prius* esset, quod absurdum. Omne enim compositum posterius est partibus componentibus.
2. Omne compositum dissolvi potest in sua principia componentia. Deus itaq; mutabilis esset, si compositus esset: imò Deus est perfectissimus & à nullo dependet: compositionem itaque non admittit.
3. Præterea in Deo non possunt dari *duo extrema substantialia componentia*, quæ *inter se actu distinguantur ex natura rei*: quæ n. sic distinguuntur, non possunt uniri nisi per operationem alicujus causæ efficientis. At nulla talis causa efficiens dari potest, quæ ejusmodi unionem in Deo efficiat, cū Deo nihil sit prius.
4. Vorstius pag. 210. objicit in Deo esse *quasi materiam*, nempe essentiam spirituales *instar generis*, & *quasi formam*, nempe, proprietates Essentiales, *instar differentia*. Verum absurdè hoc dicitur,

tur,

tur, nisi de operatione nostri intellectus accipia-  
tur: differentia namq; realiter differt à genere,  
siquidem extra essentiam generis est: proprietates  
autem Dei essentielles non differunt realiter ab es-  
sentia Dei, nec sunt extra essentiam Dei, nec sunt  
accidentia essentiæ Dei: differentia a. est accidens  
generis, ut Aristoteles annotavit.

5. Largimur sanè personas divinas esse verè in-  
ter se distinctas & sic realem pluralitatem perso-  
narum esse in Deo; *sed non sunt componentia realia,*  
*quæ concurrant ad alicuius rei compositionem,* ut ta-  
ceam quod *ὀπίσθευσι* ab ipsa essentia divina re ipsa  
non distinguatur, ut sequente Disputatione, Deo  
volente, docebitur.

## QVÆSTIO IX.

### *Utrum in DEO sint accidentia?*

1. Accidentia hoc loco intelliguntur ejusmo-  
di, quæ ipsi essentiæ Dei ceu *subiecto* inhæreant;  
non autem opera externa, à quibus quoquo modo  
extrinsecus Deus denominatur.

2. Negamus a. accidentia propriè sic dicta in  
Deo subjectivè esse: Sic enim Deus esset ex *subiecto*  
& *accidente* compositus, quod ipsius *simplicitati*  
maximè repugnat, siquidem duo extrema com-  
ponentia actu ex naturâ rei distincta in Deo dari  
nequeunt, ut paulò antè ostensum.

3. Deinde idem hoc adversatur summæ perfe-  
ctioni Dei. Si enim in Deo reperiretur accidens  
aliquod *re ipsa à substantia divina distinctum*, vel id  
haberet *ab aliquâ causâ externâ efficiente*; vel *à pro-*  
*priâ essentiâ* per naturalem emanationem ab ea-  
dem.

dem. Non ab *externâ causâ*, quia Deus suprema est causa, nec se aliquam priorem habet, nec ab aliquâ causâ dependet. Nec ab *essentiâ propriâ*, quod Vorstius vult pag. 212. Sic enim in Deo esset aliquid naturâ prius & posterius: accidens namq; , quod dimanat à principiis subjecti est, eorundem effectus propriè sic dictus, & quidem ordine naturæ posterior. Deinde illa dimanatio esset quædam *efficientia*, per quam accidens reciperet suum esse, quod à se non haberet: quapropter etiam idem illud Esse accidentis esset *participatum & non per essentiam*. Hinc necessariò conficitur in Deo esse quandam receptionem alterius rei participatæ & effectæ, quod non solùm cum immutabilitate; sed etiam perfectione Dei apertè pugnat.

4. Nec est, ut quispiam dicat, *illud accidens per sese & ex interna necessitate quadam cum Deo sine ullâ efficientiâ esse coniunctum*: nam quia illud accidens esset *Essentialiter Ens in alio*, non posset esse à se: nã à se esse est maxima perfectio: *Esse autem in alio est imperfectio* quædam, ut taceam, quod absq; efficientiâ à se esse non possit duobus Essentialiter distinctis Entibus convenire, siquidem sic duo essent prima Entia: nec urgebo, quod Essentia seu substantia Dei respectu ejusmodi accidentis esset *in potentia passivâ & receptivâ*, quod cum simplicitate Dei pugnat. Omnis n. potentia passiva reducitur in actum ab aliquo agente, quod in Deo locum non habet: nam illud agens aut esset *externum*, vel *internum*. Non *illud*, quia Deus est primum Ens, nec aliquod superius agens agnoscit: *non hoc*; quia nihil producit suum Esse nec aliqua Essentia potest compa-



comparari ad *sum* Esse tanquam potentia receptiva: sic enim simul *in actu esse* præsupponeretur quod contradictorium. Summa: *Deus ex necessitate simpliciter actu est*, & nunquam *in potentia passiva & receptiva*: quia ejusmodi potentia præsupponit carentiam seu defectum.

5. Deniq; ejusmodi accidens perficit substantiam Dei aut non: Si *non perficit*, frustra ponitur, Si *perficit*, sequitur substantiam Dei non esse in se summè & infinite perfectam: *quod enim infinite in se perfectum est, non potest ulterius in seipso perfici*. At substantia Dei infinite est perfecta. Nullum igitur accidens in Deo.

6. Impius igitur est Vorstius, quando pag. 209. scribit: *In Deo est aliud & aliud videlicet, subiectum & accidens, sive agens & actio*. Et paulò post ibid. *Non sunt axiomata illa vulgo pridem recepta, simpliciter & omnimodo vera, in Deum non cadere compositionem, nullum omnino in Deo accidens esse, &c.*

7. Rationes, quibus nititur, sunt frivola, id est, pag. 207. primò objicit: *Multa & varia esse in Deo decreta, quae non possint esse substantia, cum haec sit unica & simplex. Esse igitur in Deo tanquam in subiecto aut tanquã actiones in agente*. Respondeo: Objectio non est nova; sed diu mota & confutata. Confundit Vorstius decretum humanum cum decreto divino & perperam ab illo ad hoc argumentatur. Decreta Dei considerantur aut *ratione obiectoꝝ creatorum*, ad quæ liberè terminatur, vel ut sunt *actus voluntatis divinae*. Illo modo decreta Dei esse multa concedo: hoc a. nego: non n. alio voluntatis actu Deus decrevit mundum creare, alio homines quosdam eligere ad vitam  
E . . . . . eternam,

eternam, sed hæc est unus idemq; simplex actus, quo hæc omnia decernit. Patet id exemplo *scientia divina*: non n. multæ sunt scientiæ, h. e. *multi actus intelligendi in Deo*, licet multæ & diversæ sint res scibiles; sed unico simplici actu intelligit omnia: actus enim intelligendi & volendi in Deo nihil aliud est, quam ipsa essentia Dei per modum actus vitalis significata: *immediatè enim Deus per suam substantiam intelligit & decernit*. Unde orthodoxi Theologi hæcenus magno consensu docuerunt, *Essentiam potentiam activam & operationem Dei non differre*. Non n. putandū, quod Deus more hominum producat in se novas actiones intellectus & voluntatis, quæ sint accidentia à substantia distincta: sed in tempore solum accidit externa quædam denominatio & respectus rationis, quo substantia Dei per modum intelligentis, amantis & decernentis refertur ad creaturas.

307. 307.

8. Secundò objicit: *Decreta Dei sunt libera, ut potuerint esse & non esse. Substantia Dei non est libera; sed necessaria. Ergo.* Respondeo: ambiguitas est in Majori propositione. Decreta Dei considerantur vel *quoad existentiam* & sic sunt necessaria: vel *quoad terminationem ad objecta creata*, & sic sunt libera, id quod similitudine hypostasis verbi declaratur, quæ necessaria est in se, liberè tamen terminata fuit ad carnem Christi assumptam. Corruit itaq; argumentum Vorstii.

9. Tertiò sic argumentatur eodem in loco: *Decreta Dei quia pendent à causa voluntaria, scil. libera Dei voluntate, non sunt simpliciter aeterna. At Dei essentia simpliciter est aeterna. Non igitur sunt ipsa essentia Dei.*

10. Re-

10. Respondeo: Decreta Dei esse æterna, nisi singularē mutationem in Deo ponere velimus certū est. Ratio à Vorstio allata valet tantū in eiusmodi causis voluntariis, *quæ præsupponunt deliberationē*. Deū a. quia *omniscius*, absq; præviâ deliberatione decernit: *deliberatio n. quia ignorantiam & dubitationem præsupponit, propriè Deo tribui nequit.*

ii. Exemplo rem declarabimus. Vel Deus ab æterno scivit mundi creationē non fore impossibilē vel ignoravit. Si *ab æterno scivit*, non opus fuit deliberatione. Si *ignoravit*, dicat Vorstius, à quonam postea didicerit? perpendat etiā Vorstius, idem concludi posse de deliberatione, quod de decreto Dei objicit, si universaliter verum, nihil quod liberè fit ab æterno esse. Videat de his Vorstius Franciscum Suaretz Tom. 2. Disp. 30. sect. 9. & videbit hæc Sociniana fœmnia solidè ibidem protrita esse.

## QVÆSTIO X.

### *An Deus sit mutabilis?*

1. Quemadmodum essentia Dei immutabilis est, sic & voluntatē Dei immutabilem esse negari non poterit, maxime si perpendamus voluntatem Dei ab essentia eiusdem non esse ex natura rei distinctam. Verūm Conradus Vorstius novæ Theologiæ autor pag. 65. libri sui multoties citati scribit: *quædam (Deus) in tempore reipsa vult, quæ antea sic nominatim atq; in specie noluit.* Et pag. 212. circa finem: *Non satis circūspectè loquuntur, qui Deum ut essentia, sic etiam voluntate prosus immutabilem esse affirmant.*

2. Sententia planè impia. Deus ut *essentiâ* sic & *voluntate* est immutabilis: *Apud Deum enim non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* Jacob. 1. v. 17. *Idem Deus falli non potest.* Ebr. 4. v. 13. *nec more hominum sua decreta rescindit* Num. 23. v. 19.

v. 19. Non est Deus quasi homo ut mutetur: Voluntas Domini permanet, Prov. 19. v. 21.

3. Rationes Vorstii nullius sunt ponderis: Voluntatem namq; Dei perperam & ineptè metitur ex *conditione voluntatis humanæ*, quæ multis de causis mutari potest. Quod voluntatem divinam attinet, ea non mutatur ob causas allatas, *licet ejusdem objecta interdum mutantur*, quando nimirum ex futuro fit præsens & ex præsentem præteritum: *hæc autem mutatio obiectorum non facit realem mentationem in Deo vel in scientiâ Dei, quia Deus ab æterno omnia scivit, nec ex imprudentia vel ignorantia quicquam voluit: nullus est casus vel eventus, quem ab æterno non præviderit.*

4. Pœnitentia Deo non tribuitur propriè, sed metaphoricè: non secundum *affectum*; sed *effectum*, ut loquuntur: *internus enim dolor* in Deo non est, ideoq; nec propriè pœnitentia. Destruit Deus suum factum, ut patet in destructione primi mundi; sed tamen *sine interno dolore*: voluntas n. Dei mutata non est, sicuti nostra mutari solet, *nec incipit Deus aliter sentire in tempore, quàm sensit ab æterno*, ob causas multoties allatas.

5. Nec tollitur libertas Dei, siquidem in eo consistit, *quod Deus pro arbitrio hoc vel illud decernere potuit*. Et sanè quæ causa erit hujus Vorstianæ mutabilitatis? nonne, quod non sapienter omnia Deus decreverit? at quis hoc palam impium esse non videt.

6. Deniq; considerandum, in sacris *quædam absolutè prædici, quædam certâ cum conditione*. Si hæc non semper eveniant, non est causa, quod Dei voluntas sit mutata; sed quod conditio non fuit impleta. Quæ Vorstius de multitudine essentiarum in Trinitate reipsa diversarū pag. 208. adfert commodius in seq. Disputatione, Deo volente, discutiam.

Ἰὼ ὁσῶ δόξα.







